

torrem faciet. Taceo quod idem sanctus vir auctor condendi collegii Germanici fuerit pontifici ad eundem finem, hæresim nimirum novatorum expugnandam.

IV. Quia Sedi apostolicæ speciali et quarto voto sese obligat ad quascumque missiones absque viatico etiam in remotissimas nationes. Quam ergo certum est Sedem apostolicam a Christo constitutam et firmatam esse, tam parum etiam dubitandum societatem ei adhaerentem a Christo quoque esse. Per istos igitur patres attraxit Sedes apostolica ad Christi fidem et suam obedientiam transmarinas nationes prius orbi incognitas et alias ab hæresi quam plurimas. Legimus Salomonem non solum fecisse sibi thronum eburneum grandem, etc. II. Par. IX. sed etiam ferculum, id est, vehiculum vel lecticam de lignis Libani, quo de loco ad locum ferretur. Ejus columnæ erant argenteæ, reclinatorium aureum, ascensus purpureus, media charitate constrata, Cant. III.

Aliæ religiones solum Christi sunt, in quo requiescit: sed societas Jesu ferculum seu lectica est, in qua Christus defertur ad longinquas nationes, quomodo S. Paulus nomen Jesu portavit coram gentibus. Ejus columnæ argenteæ propter scientiæ eminentiam, quæ ad tales missiones requiritur; reclinatorium aureum, confidentia in Deum, dum patres societatis sine viatico ad quascumque oras ablegati abeunt, solo Deo confisi; ascensus purpureus, promptitudo subeundi martyrium, quod magno numero summa animi alacritate exceperunt, quodque passim eos expectat et expectant ipsi; media, id est, quidquid interjacet, charitate constrata, dum posthabitis omnibus commoditatibus suis contemptoque vitæ periculo pro animarum lucro ingentia subeunt pericula totosque se impendunt aliis. Unde non injuria de hoc ferculo dixerim, quod de Paulo Christus: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus*. Portavit nomen Christi ad Indos Japones Xaverius, ad Armuzios Caspar Barzæus, ad Abyssinos Andreas Oviedo, ad Sinas Matthæus Riccius, ad Brasilios Josephus Anchieta, etc. Jam ergo dubitabit aliquis nostrum Salomonem Christum fecisse sibi hoc ferculum, quo ipse ad tam remotas et incognitas nationes delatus est?

V. Quia passim a malis hominibus persecutionem patitur, quod non exiguum est argumentum a Christo esse, et a Christi partibus stare hanc societatem; siquidem *Omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*. II. Tim. III. Et Christus: *Si me persecuti sunt, et vos persequentur*. Porro quatuor aut quinque hominum genera sunt, qui sociati adversantur. Hæretici, quibuscum perpetuum illis odium; et hoc ipso laudabile. Deinde

homines carnales et vitæ dissolutæ, qui nullo modo ferre possunt homines vitæ purioris et suorum vitiorum deprehensores, quod etiam societati in maximam laudem cedit, eamque vere cœlestem ostendit et spiritualem. Quid enim mirum si caput scabiosum a pectine abhorreat? Quamprimum aqua igni jungitur, in se mutuo pugnabunt; ita nec vitio et virtuti unquam convenientia. Ac siquidem aliquando tempus incideret, quo societati cum talibus hominibus pax esset, necesse est aut mundum totum factum esse similem ipsi, quod optandum potius quam sperandum est, aut ipsam degenerasse in mundum, quod avertat Deus. Itaque ubi cessaverit societas tales habere hostes, hostem judicabimus. «*Quomodo enim vir bonus est, qui improbis amicus est?* dicebat Lacon. apud Plut. Et apostolus: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*. Alii quidam de religione sunt aut fuerunt potius, quippe instituti sui nimium amantes, unde aliena instituta facile improbant, ideo potissimum quod externa severitatis insignia minus præseferret: non advertentes, quod Joannis Baptistæ discipuli simili modo culpabant apostolicos, quod non jejunarent ut ipsi, Matth. IX. Sed hoc humanæ infirmitati prudens quisque facile condonabit. Alii quidam avari ludimagistri erant et clerici, qui cum adverterent aliquid de quæstu suo decedere, patribus societatis gratis docentibus et ministeria ecclesiastica obeuntibus, ex hoc contra illos armati sunt. Denique alii falsis delationibus circumventi, uti olim doctores Parisienses, qui tamen ad extremum omnes, veritate seipsam prodente, deceptos se viderunt. Ad extremum quæcumque contra eos procella variis in locis sunt exortæ, non eorum culpam aliquam, sed innocentiam prodiderunt. Ut hinc aperte constet societatem granum frumenti esse, quod ut multum fructum afferret prius varie mortificandum, ventilandum et cribrandum fuit.

VI. Quia ex fine proprii sui instituti tota incumbit ad salutem animarum procurandam, in omni officiorum genere, quod aliæ religiones non habet. Imprimis in juventute erudienda, quod ex se fastidiosissimum est. Et quantum hinc boni prodit? Unde plurimorum monasteriorum et cleri reformatio, nisi ex eruditione, quam hauserunt e scholis societatis? Cleri reformatio quanta bona peperit et parit hodieque? Deinde in confessionibus audiendis, quod officii genus tamquam gravissimum et molestissimum omnes alioqui fugiunt, ipsa libenter suscipit et indefesso labore exequitur: ut de ipsa imprimis dicere videatur Deus Ose. cap. IV. *Peccata populi mei comedent*. Ad hæc sedulo occupatur in visitandis ægrotis et captivis, quo in officio

genere licet tam pio et salutari etiam antea pauci occupabantur; ut vere dicere possim eam ultro ire, quo prius rari ivere. Concionibus præterea plebem instruere satagit, ubicumque occasionem habet.

Quæ omnia clarius elucent, si fructum qui inde provenit, consideremus. Quanta olim in clero dissolutio? Quam exiguis sacramentorum usus? Quam omnia sacra undique frangebant? Ignatius ergo post Christum ignis ille videtur, quem misit in terram Christus, quo inflammata omnia: *Ignem veni mittere in terram, etc.* Luc. XII. Hæc ego, auditores, pro honore et defensione tam laudandæ societatis ita sane dicta vobisque insinuata volui, ut aliis religionibus (quibus etiam sua stat laus et honor) nihil demptum velim; sed ut eam vos pari cum cæteris amare et veneratione complectamini, foveatis, audiatis, et quantum vires ferent, imitemini.

CONCIO III.

CLERICORUM INSIGNIA ET PRÆSCRIPTA.

I. Corona significat: 1. curarum sæcularium abjectionem. 2. Consecrationem et regiam dignitatem. — II. Toga denotat: 1. Justitiam. 2. Vestitum lugubri similem. — III. Superpelliceum notat: 1. Puritatem animi. 2. Sollicitudinem conservandi puritatem. 3. Libertatem agendi bene. — IV. Pileus quadratus: 1. Signum crucis. 2. Stabilitatem mentis. — V. Breviarium seu orandi studium.

THEMA.

Quoniam Nazaræus vocatur. Matth. II.

Non longe aberramus, si nostros sacerdotes, etiam sæculares, Nazaræos appellemus (tametsi Nazaræi religiosorum proprie typus erant, si eorum vitam spectes.) Nazaræus enim sonat separatam, consecratam, coronatam. Et tales utique esse sacerdotes debent; separati a communi laicorum conversatione, consecrati divino cultui, coronati in rasura capitis. Verum licet eos quoad etymologiam vocari velim Nazaræos, nolim tamen esse quoad institutum Nazaræorum legale: illi enim vinum non bibebant; istos volo bibere vinum in missæ sacrificio et quidem frequentissime. Illi comam aiebant; hos nolo comam alere. Illi super mortuo non ingrediebantur; hos volo crebro ingredi suis pro defunctis precibus. Illi ad certum tempus Deo consecrati erant; hos volo esse semper divino cultui addictos. Inspiciamus ergo sacerdotum nostrorum habitum seu insignia, et inde perdiscemus quæ illorum partes sint.

I. Corona capitis per capillorum detonsionem facta. Quæ significat primo curarum sæcularium abjectionem; capilli enim capitis animi curas significant superfluas, quia ut capilli ex superfluis humoribus continuo nascuntur, ita et

curæ ex superfluis mundi bonis et negotiis sæcularibus. Intonsus erat Joseph et incompositus quamdiu in carcere ministravit. At cum ad regem adducendus erat, prius tonderi debuit. Gen. XLI. quia nimirum sordidum apparere coram rege non licuit, ut exponit ibi Lyran. Atqui clerici eximuntur et seliguntur a mundo velut a carcere et sordido sæcularium curarum ministerio; ut coram cœlesti Rege assistant. Quemadmodum vero homo intonsus et impexus fit sordidus et squalidus; ita coram Deo sordidus habetur, qui curis sæcularibus nimirum detinetur. Neminem posse duobus dominis servire, discimus ex evangelio Matth. VI. *Ideo ne solliciti sitis*, subjicit Dominus, *animæ vestræ, etc.* Et mox: *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?* Vos, o clerici, estis volatilia illa, quæ laudes Dei canere semper debent: abjicite igitur curarum sæcularium capillos et ipse vos enutriet. Idcirco Sylvester papa dies hebdomadæ appellari ferias voluit, ut Clerici a sæcularibus curis exempti sciant soli se Deo semper servire debere, ut habetur in officio S. Sylvestri, lect. III. Quod si capillos hos non totonderint clerici, tenebuntur per illos, ne expedite Domino servire, et militiam suam militare possint. Lacedæmonii certe quo expeditores ad pugnam essent, nec haberent unde teneri possent, capillos totonderunt, teste Pierio lib. XXXII. hierogl. Similiter II. ad Tim. II. cum præcepisset Paulus Timotheo episcopo: *Labora sicut bonus miles Christi Jesu*, mox subdit: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus: ut ei placeat, cui se probavit*. Quod imprimis observent clerici cum in divino ministerio sunt, vel Judæorum exemplo edocti. «*Nam cum Aaron ejusque successores, (ait Isidorus Pelusiota, lib. I. ep. XLV. ad martyr. epis.) in templum sacrificii causa ingrediebantur, laneis omnibus vestimentis abjectis, vestes ex lino contextas induiebant, illud significantes, externos tumultus tum de memoria deponendos esse. Nam qui rei sacræ causa ad Deum accedunt, nihil alienum nec ullam rerum ex materia constantium sarcinam afferre student.*

Secundo significat eorum consecrationem et immunitatis privilegium. Sic enim Hugo, lib. II. p. III. cap. IV. ait: «*Signaculum clericorum est corona, qua signatur clericus deputatus ad ministerium Dei.*» Antiqua consuetudo erat circa annum D. DCLXXXIV. transmittendi capillos filiorum alteri, qui eos quasi adoptaret. Sic P. imp. filiorum Justiniani et Heraclii capillos ad Benedictum papam direxit, quo eum velut spiritualem patrem haberent, teste Baro-

BIBLIOTHECA U. A. N. L.

nio, illo anno. Igitur quia clerici peculiari ratione Deo consecrantur, eorum capilli ab episcopo abscinduntur, et Deo quodammodo transmittuntur, qui eos velut filios adoptat peculiari modo; indeque singularem eorum curam habet. Sic enim ad discipulos suos Luc. XII. ait: *Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere.* Et Luc. XXI. *Capillus de capite vestro non peribit.* Viderint ii, qui signaculum hoc temerant et violentas clerico manus inferunt. Hominis sigillum violare nefas est, quanto magis sigillum Dei? Per jocum, etsi non male, vocant aliqui sacerdotes templa; sed audiant illi apostolum: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* I. Cor. III.

Tertio regiam sacerdotum dignitatem. Etenim I. Pet. XXII. dicuntur *genus electum, regale sacerdotium.* In veteri lege, Exod. XIX. contulit Deus populo suo *regnum sacerdotale.* In nova sacerdotium regale; quia ibi regnum potius erat sacerdotio; hic contra; ideo sacerdotium ponitur, ab apostolo substantive, a Moyse adjective. Certe S. Ambrosius cum Theodosium imper. in choro aliquando stantem vidisset, ei nuntiavit: *Egredere imperator, et cum cæteris in commune consistite: purpura enim imperatores facit, non sacerdotes.* Cui non difficulter paruit imperator. Posthæc cum idem Constantinopoli ad Ecclesiam veniens, a patriarcha invitaretur ut ad chorum sessurus accederet, nequaquam acquievit, magis scilicet approbans Ambrosii sententiam. *Histor. trip. I. IX. c. XXXVI.* Cæterum quia clerici aliqui coronam et dignitatem suam negligunt, imo vitii collutulant; fit, ut ipsorum culpa vilipendantur, non secus ac rex si plebeio incedat habitu.

Tria hæc sacerdotalis coronæ mysteria explicantur etiam vocabulo Nazareni, quod significat separatum, consecratum, coronatum.

II. Toga quæ significat primo iustitiam, id est, omnem virtutem, qua ornati esse clerici debent. Toga enim a tegendo dicta, quia totum corpus tegit. Hoc est quod orabat Salomon, post introductam arcam in templum, Ps. CXXXI. dicens: *Sacerdotes tui induantur iustitiam,* id est, extra etiam præ se ferant sanctitatem ut obvii quique advertant magna esse distantiam vitæ sacerdotalis a vulgari; quemadmodum est et togæ a veste brevi. Clericorum typus erant legati Davidis, quos ad conspectum suum truncatis usque ad nates vestibus indutos non admisit David, II. Reg. X. donec iterum togati incederent. Clerici enim sunt nuntii Dei missi ad consolandum Hanon, id est, oneratum, (peccatorem) qui si togati seu vitæ integri non sint, quomodo consolabuntur injustos? Et si hæc differentia vestium, id est, morum non reperitur in sacerdote, dicetur, *sicut populus, sic sa-*

cerdos. Isa. XXIV. S. Ambrosius, epist. VI. ad Irenæum ait: *Vides nihil in sacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum multitudine. Sobriam a turbis gravitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitatis sibi vindicat dignitas sacerdotalis. Quomodo enim potest observari a populo, qui nihil habet secretum a populo, dispar a multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat? Si nihil in te aspiciat, quod ultra se inveniatur? Si quæ in se erubescit, in te, quem reverendum arbitratur, offendat? Supergradiamur igitur plebeias opiniones, et strata quadam gregalis conversationis; et quæramus nobis viam inaccessam sermonibus insolentium. Hæc Ambros. Similiter S. Chrysost. I. II. de sacerdot. «Prodeant, inquit, (ad pastorem functionem scilicet) qui longe omnibus præstant, quique virtute animi tantum reliquos excellunt, quantum corporis magnitudine Saul Hebræorum gentem excelluit: seu potius, multo etiam magis.» D. Bern. cum novitius esset, se ipsum veste prehensum vellicare identidem solebat et dicere: «Bernarde, ad quid venisti?» apud Surium in ejus vita lib. I. c. IV. Facite hoc et vos novitii sacerdotes, quærite vestem vestram, ad quid veneritis.*

Secundo luctum perpetuum, quia vestes Sacerdotum ex præscripto canonum II. q. IV. nigræ esse debent, non alterius coloris: qui vero in luctu incedunt, nigri et oblongis utuntur vestibus. Sed quem ita perpetuo lugent clerici? Christum utique pro nobis mortuum. Quid enim est missæ sacrificium, nisi memoria mortis Christi? Quid horæ canonicæ, Matutinum, Prima, Tertia, Nona, etc. nisi horæ passionis Christi? Mortem Josiæ regis, quia similis illi non erat inter reges nec ante nec post eum, et quia pro populo suo occubuerat, IV. Reg. XXIII. luxerunt cantores et cantatrices, ejusque lamentationes semper replicabant, quasi ex lege obtenta in Israel, ut habetur II. Par. XXXV. Quanto rectius lugent sacerdotes mortem Christi Regis regum pro nobis mortui ejusque lamentationes replicant? Certe planctum clericorum super Christi mortem futurum comparat Zacharias, cap. XII. planctui supra dicto, dicens: *In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon, in quo cæsus fuit Josias.* Quod si ita est, habent certe sacerdotes, cur choreas, convivia, ludos fugiant, nuptiis facile non intersint. Si enim laici cum lugent, se excusant et subtrahunt ab hujusmodi sæcularibus, spectaculis, deliciis, etc. cur non id faciant sacerdotes, qui in perpetuo luctu sunt?

III. Superpelliceum, quod significat puritatem animi, quam sacerdos nunquam non conser-

vare debet. His enim imprimis Ecclesiastes dicere videtur, cap. IX. *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* Quanta sacerdotum esse puritas debeat ostensum est S. Francisco per angelum vitream ampullam limpidissimi liquoris ad solem commonstrantem dicentemque, tanta puritate præditum esse sacerdotem debere; quo ostenso is a sacerdotii proposito absterritus, diaconus remansit. Quin et S. Chrysostomus quovis radio solis puriorem esse vult sacerdotem, hom. LX. ad pop. Antioch. Nec immerito purissimæ esse debent manus, quæ purissimum tractant Dominum; si enim Seraphim ille Isa. VI. unus ex supremis angelis, carbonem seu calculum, ut alii legunt, qui typus erat eucharistiæ (secundum Hug. card. in Apoc. cap. II.) non nuda manu, sed forcipe tulit de altari et tetigit cum eo os Isaïæ; quam puræ debent esse manus sacerdotis S. eucharistiam quotidie tractantes? Certe forcipe non eguit angelus, quod manum ejus carbonem adureret: solum ergo ob reverentiam tanti mysterii hoc egit.

Secundo, uti superpelliceum habet innumeras tricas et plicas, ita sacerdos ad conservandam animi puritatem perpetuis æstuaris curis debet. Quia enim puritas animi inter sæculares difficillime conservatur: (quis enim in luto incedens non aspergit vestes?) Argus sit, qui eam collutulare non vult. centoculatus figuratur fuisse Argus, I. I. metamorph. habens custodiendam unicam vacuum: nihilominus tamen Mercurii fistula deceptus, adeoque somno sopitus fuit, ut tandem omnes clauderentur oculi, sicque vaccam suam perderet. Mercurius iste mundus est, qui suarum illecebrarum suavitate etiam Argum sæpe obdormire facit, et innocentia sua spoliat. Hinc etiam Exodi c. XXVIII. tunica linea, sacerdotum communis, tota oculorum imaginibus plena erat undequaque, ut probat ibi Vatablus cum Hebræis: quo monerentur eo habitu invigilare summo studio vitæ puritati.

Tertio, uti superpelliceum habet manicas largas: ita sacerdos puritatem animi conservare volens, manus sibi constringi aut ligari ne patitur, (quod Samsoni fecit Dalila) quominus libere possit partes suas agere. Non discedat ab æquo aut dignitate sua in ullius personæ, vel causæ gratiam.

IV. Pileus quadratus, qui primo significat signum crucis; habet enim quatuor angulos in formam crucis distributos, quorum unus introrsum flexus et absconditus est, significans partem crucis terræ infixam, reliqui tres anguli extantes, reliqua tria crucis cornua. Monentur Luc. IX. Christi discipuli, tollere crucem suam quotidie et sequi Christum: ejusdem rei monentur clerici in bireto suo. Nam in cruce est

altitudo, longitudo, latitudo et profundum. De qua locutum esse Paulum ad Eph. III. vult Augustinus, tract. IV. de cataclysmo, cap. VI. et ita exponit; ut per altitudinem, in qua caput est Christi, moneamur sursum habere cor ad Dominum; per latitudinem, ubi manus sunt Crucifixi, moneamur perseverare in operibus bonis; per longitudinem, secundum quam Christi corpus pependit, castigemus corpus nostrum; in profundo, quod in terra latet, fides exerceatur. Sciant ergo clerici cruci affixos nequaquam posse descendere, imo nec manus aut pedes extendere ad res illicitas (quemadmodum et Christus crucem deserere noluit.) Caput avicula cum ad vocem accipis ab arbore se demittit: idem ne contingat sibi, videat unusquisque; ac proinde non descendat de cruce, ad quam ascendit nemine cogente.

Secundo significat mentis stabilitatem sive in prosperis, ne elevetur, sive in adversis, ne dejiciatur. Quis enim nescit rotunda facile dimoveri loco suo, quadrata non item? Ad hoc indicandum altare thymiamatis quadratum erat, Exod. XXXIV. Ligna ad arcam Noe fabricandam quadrata jubentur accipi, Gen. VI. ubi pro lignis lævigatis, legunt Septuag. *quadratis.* Lapides item ad templi Salomonis fundamentum jaciendum quadrati præcipiuntur a Salomone, III. Reg. V. Quin et Arcades, teste Pausania, deorum suorum simulacra quadrantalia faciebant, ut eorum stabilitas designetur, apud Vegam in Apoc. c. VIII. Quoniam sacerdotes, qui sunt altare thymiamatis Deo suavissimum orationum thus continuo adolentes, ligna item et fundamenta Ecclesiæ, nullius debent rerum successibus de suæ mentis statu et tranquillitate dimoveri juxta id ad Rom. VIII. *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? An angustia?*

V. Breviarium. Omnes pene artifices artis suæ primarium instrumentum gerunt, quacumque eant. Faber malleum, viator tuditem, sartor forcem, scribarius serram, etc. Atqui instrumentum clericorum primarium est brevium. Quod enim ad Josuen locutus est Dominus, Jos. I. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditare in eo diebus ac noctibus, etc. tunc diriges viam tuam et intelliges eam;* hoc dicit omnibus clericis de suo breviario. Quin et id quod Ezechieli, cap. III. dixit: *Comede volumen istud.* Videte, o clerici, opificium vestrum, et exemplum sumite ab alauda, quam propterea maxime diligebat S. Franciscus, quod septies in die se a terra in cælum recta elevat et septies Dei laudes canit, quemadmodum scribit Gorop. hierogl. LXXXV. et Stephan. Durandus, I. III. c. III. et V. de ritibus Ecclesiæ. Horæ etiam breviarii septenario continen-

BIBLIOTHECA CENTRALIS U.A.N.L.

tur numero; toties igitur vos et terra elevatentes ad Deum et laudes ejus decantate. Solent homines laici vocare breviarium, conjugem sacerdotis. Non displicet hoc assertum; nam mulier data est viro, ut is habeat adjutorium simile sibi. Gen. II. Atqui breviarium vere sacerdotum est adjutorium. An nescitis forte decies non intonare per diem: *Deus adjutorium meum intende?* Deinde hoc adjutorium simile est sacerdoti: quemadmodum enim breviarium multis est characteribus impressum et ornatum, ita sacerdos quot habet sacros ordines, tot sibi impressos characteres. Præterea est conveniens statui ipsiusque comes expeditus ad omnem peregrinationem. Cum enim sacerdotes a Domino mittantur in universum orbem, adeoque sæpenumero peregrinari debeant, si uxorem haberent, tunc uxor deberet habere prolem, proles cunas, cunis adesse et advigilare deberet famula, etc. Quorsum migrare vellet cum tanta suppellectile? Atqui breviarium statim ad quovis iter expeditum et paratum est. Sed ad finem audiamus hic novum et stupendum cœloque delapsum consiliarium Lutherum, qui in epistola quadam ad Albertum archiepiscopum Moguntinum (quæ exlat tom. IX. German. Wittenberg. fol. CCXXVI. anno 1525.) suadens optimo præsulī matrimonium, hoc est, præcipitium de pinnaculo templi, et castimoniam in barathrum turpitudinis, inter alia hoc argumento utitur: horribile est, si vir sine uxore in morte inveniatur, nisi minimum serio proposuerit inire matrimonium. Nam quid respondebit, si Deus interroget: Virum te creavi, qui solus esse non debet, sed cum uxore: ubi igitur est uxor tua? Hæc Lutherus. Sed quis talem unquam divini judicii descriptionem audivit? Quis omnibus, quibus uxor non est, tam severam a summo Judice quæstionem ponendam legit? Ego sane sacerdotibus contrarium denuntio, nimirum: Quid tibi cum uxore vel potius meretrice? Ubi est breviarium tuum? Hæc tibi uxor esse debuit, etc.

CONCIO IV.

DOCUMENTA.

I. Bene in Deo sperandum. — II. Spes impiorum inanis. — III. Non metuendæ impiorum minæ. — IV. Angelus custos observandus. — V. Redeundum ad avitam religionem.

THEMA.

Surge et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel. Matth. II.

Vidimus ante paucos dies terribile quoddam diluvium, idque sanguinis, non aquæ, e vulneribus innocentum, quasi ruptis cœli cataractis promanans. Vidimus et Noen, Salvatorem nos-

trum, una cum parentibus diluvio huic subtractum et in Ægyptum velut in arcam sese recipientem. Hodierno in evangelio videre mihi videor columbam advolantem viridemque ramum ore gestantem veluti serenitatis, securitatis et diluvii sublatis symbolum. Ea vero est angelus Domini nuntians Josepho mortem Herodis et aliorum Christi hostium, proinde egrederetur nunc de Ægypto et rediret in terram suam, quia pax foret et tranquillitas. Quoniam ergo ramus hic columbæ multa bona nuntiat, contemplari eam volumus.

I. Bene sperandum esse in Deo; qui fidelis est in promissionibus suis et tandem eos in tribulatione eripit rursusque consolatur, quos antea castigavit. Ecce enim Joseph audierat quidem ab angelo ut maneret in Ægypto usque dum ab eodem moneretur: sed quamdiu expectavit Joseph? Jam octavus agebatur annus exilii Ægyptiaci, nec interim rediit angelus. Nonne cogitare poterat Joseph angelum sui oblitum vel Dei consilium mutatum esse? Nihil horum ipse: quia in Domino confidebat. Adest ergo tandem cœlestis nuntius et implet quod promiserat, quia Deus a quo missus et reditum prænuntiare jussus erat, fallere non poterat. Quare tametsi differt Deus implere, quod promisit, non tamen obliviscitur. In valle Achor abjecerant Israelitæ omnem spem victoriæ et obtinendæ Palæstinæ, eo quod ibi Achan sacrilegus eos perturbasset, (unde Achor, id est, vallis perturbationis dicta fuit) itaque hosti succumbere cœperunt, Jos. VII. Verum ubi Achan deprehensus est furti reus et punitus, mox reviruit spes et robor illorum, perrexeruntque feliciter in terram promissionis. Hinc Os. II. ait Dominus: *Dabo ei vallem Achor ad aperiendam spem*; id est, cum omnino se derelictos existimabunt, faciam illis spem. Poterat et Joseph cogitare actum esse de Messia, cum ab Herodis furore fugere et in Ægypto tamdiu latere coactus fuit. Sed ubi e medio sublatus est Herodes, nova spes affulsit redeundi in terram Israel. Hunc in modum rebus desperatissimis præsentissimus adest Deus.

II. Spem impiorum inanem esse, juxta id Prov. *Spes impiorum peribit*. Id apparet in Herode, qui regnum suum stabiliturus infantes occidit indeque certo credidit peremptum esse Christum, quem metuebat regni insidiatorem. Sed deceptus est; siquidem avicula, quam quæsierat, erepta fuit de ejus laqueis, et nunc revolat in patriam. Unde dici de eo potest id Proverb. XII. *Non inveniet fraudulentus lucrum*, (juxta vers. Septuagint. *Non consequetur venationem dolosus*. Hebr. *Non aduret fraudulentia venationem suam*. Chald. *Non occurret venatio viro doloso*.) Expedierat jam aucupes, expedie-

rat jam vero Herodes, capturus et assaturus hanc oviculam. Sed inani spe. Vivit et redit in patriam Christus, vixit et abiit ad tartarum Herodes, assandus a diabolo. Idem evenit simili tyranno Abimelecho, Judic. IX. qui ut imperium sibi stabiliret, septuaginta fratres suos simul occidit super uno lapide; sed brevi imperavit, tribus nimirum annis solum; et fragmento molaris lapidis e turre dejecto a muliere occisus est. Indoluit quidem Abimelech cladem hanc a muliere sibi illatam et voluit ab armigero suo interfici ne diceretur manu feminae obtruncatus; at non obtinuit, quod speravit. Omnes enim posteri memorarunt hodieque memorant crudelissimum tyrannum mulieri succubuisse. Testis post plures ab ejus nece annos Joab, dum II. Reg. XI. declamat: *Quis percussit Abimelech filium Jeroboam? Nonne mulier misit super eum fragmen molæ de muro et interfecit eum in Thebes?* Memorabile etiam est, quod scribit Plinius, l. XXXVI. c. XII. justo Dei judicio factum esse, ut ignoretur, quinam fuerint pyramidarum Ægyptiarum auctores, eo quod ipsi in insanis hisce fabricis (quarum aliquæ nunc Romæ visuntur cum stupore) regum opes exhauserint et nominis æternitatem apud posteros quæsierint. Ita etiam magnifica illa palatia Augusti, Tiberii, Neronis (cujus cubacula unionibus fuisse instrata scribit Plinius, l. XXXVII.) Decii, Diocletiani et aliorum subversa sunt; ut vix sciri queat, quo loco fuerint. Vanissimi hi aucupes non adusserunt venationem suam, computruit nomen eorum.

III. Non metuendos impios eorumque minas; ut qui a Deo frænantur, et brevi extinguuntur atque in pulverem rediguntur instar procellosæ nubis, quæ omnia disjicere et evertere molitur, brevi tamen in pluviam resoluta decidit, et in lutum vertitur ac pedibus calcatur. Hujusmodi nubes fuit Herodes in et circum Bethlehem omnia evergens; at post annos septem resolutus est in pulverem et dejectus in sepulchrum, calcatus a prætereuntibus. In Sicilia subierunt forte quidam vastam specum, et longius introgressi, gigantem immensa magnitudine, telumque instar trunci arboris manu tenentem videntes, consternati et præ metu fere exanimati, in villam proximam aufugerunt: quorum rumore passim disseminato, tota vicinia armata ad specum concurrat, ad gigantem accedunt eumque attingunt; tactus vero gigas in pulverem dissolvitur. Ita timor in risum abiit. Narrat Alanus, dial. III. c. XIII. similis huic giganti Herodes fuit, cupiens telo et gladio suo extinguere Regem Israel, mundi Salvatorem; sed tactus infirmitate et vermium scaturigine, concidit in pulverem. Revertere igitur, o Joseph, in terram Israel, defunctus est enim et in ci-

nerem collapsus gigas ille, qui quærebat Jesum. Optime Matthias ait de simili gigante Antiocho (Judæorum hoste pessimo.) *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis est. Hodie extollitur et cras non inventitur, quia conversus est in terram suam et cogitatio ejus perit*, I. Mach. II. Perit autem et ipse a vermibus corrosus et putredine ac fœtore consumptus, II. Mach. IX. quemadmodum et Herodes.

IV. Dei et angeli custodis directionem in omnibus negotiis petendam et sequendam esse; videmus enim Josephum non semel ab angelo moneri, quid agere et quo divertere debeat. Quater hic in somnis ab angelo monitus fuit; primo cum sponsam prægnantem occulte voluit dimittere, Matt. I. secundo cum monitus de insidiis Herodis jussus est in Ægyptum fugere, Matth. II. tertio cum ex Ægypto regredi; et quarto cum in Galilæam divertere jussus est, ut in hod. evang. Potuisset sane angelus hæc omnia simul et semel docere S. Josephum; sed maluit divisim, ut S. Joseph ab ejus directione perpetuo penderet, ad eamque recurreret in omni afflictione vel dubio. Docemur ergo hic in omnibus nostris actionibus, gravibus præsertim, ducem et consiliarium adhibere Deum ejusque angelum custodem nostrum, sine quo alioquin sæpissime errabimus et in hostes medios incurremus, quod utique evenisset Josepho, si angeli ductu caruisset. Ut ergo cetus ob pinguedinem oculorum cæcutiens utitur ductu alterius piscis, quem ei natura attribuit, ut eum antegrediat, ducat et moneat in periculo: (ut scribit Ælianus, lib. II. hist. anim. cap. XIII.) ita decet nos uti opera, ductu et consilio angeli custodis ad hoc a Deo nobis dati, ut cæcutientes ducat, errantes moneat, peregrinantes Exod. XXIII. Dominus: *Ecce ego mitto angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi, observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo*. Audis quatuor custodis officia: præcedit, custodit, introducit, punit si deliqueris. Audis et totidem obsequia illi imperienda: observa præsentem, id est, semper ad eum recurre, et pende ab eo, audi monentem, time punientem, honora Dei personam præseferentem. Ita fecit abbas ille in vitis PP. l. VII. c. XLIV. qui rogatus quænam esset ejus quotidiana exercitatio, respondit: *Ego angelum meum assistentem mihi juxta me expecto et custodio memetipsum, quod scriptum est, cremi niscens: Providebam. Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear*. Timeo ergo eum, ut custodientem vias meas et quotidie ascendentem ad Deum et insi-